

31) CICER ARIETINUM foliis serratis. LINN. Syst. Plant. Tom. III. pag. 478.

β) *Cicer sativum* differt *Flore et Semine* albo et colore totius plantae pallide viridi, quae cultura omnia non mutantur. Caeterum omnibus in partibus convenit cum *C. arietino*.

32) REICHARDIA.

CALYX imbricatus; *squamis* margine scariosis. COROLLULAE omnes ligulatae, hermaphroditae. SEMINA solitaria, transversim sulcata s. crenulata, subcurva. PAPPUS sessilis, pilosus. RECEPTACULUM nudum.

A) REICHARDIA TINGITANA foliis omnibus runcinatis, dentato-spinosis amplexicaulibus. *Scorzonera tingitana*. LINN. Syst. Plant. Tom. III. pag. 618.

RADIX annua, lactescens.

CAULIS pedalis, ramosissimus, dichotomus, brachiatus, glaberrimus, striatus; *junior* praecipue punctis crystallinis adpersus.

FOLIA sessilia, amplexicaulia, fragilia, basi latiora, omnia runcinato-dentata; *dentibus* spinescentibus.

PEDUNCULI longi, solitarii, superne admodum incrassati, tubulosi, subdiaphani, in medio *Squama* s. *Bractea* unica (raro duae) brevi, ovato-lanceolata, acuminata, margine albo-membranacea, foliolorum calycis breviorum haud dissimili praedita.

CALYX paullo ante inflorescentiam ovatus, obtusus, crassus, durante florescentia basi rotundatus, in medio contractus, apice dilatatus, post deflorescentiam depressus, orbicularis, acuminatus: *Squamas* exteriores ovatae, multo breviores et latiores interioribus; *interiores* lanceolatae, aequales; *omnes* margine membranaceae, scariosae, sub apice aculeo purpureo, incurvo, compresso auctae.

COROLLA magnitudine *Leontodonis Taraxaci*. *Corollulas* omnes ligulatae, sulphureae, extus versus apicem purpurascentes, infra medium purpureo-violaceae, extus hirsutissimae, *centrales* plerumque abortivae.

ANTHERAE cum parte inferiore corollularum concolores.

SEMINA ventricosa, obtusa, brevia, transversim sulcata, quadrangula, subcurva.

PAPPUS sessilis, pilosus.

RECEPTACULUM nudum.

OBSERVATIO. CALYCIS STRUCTURA *Scorzoneræ*, FIGURA *Sonchi*: SEMINA *Pteridis*: PAPPUS *Sonchi*.

B) REICHARDIA PICROIDES foliis superioribus amplexicaulibus integerrimis, inferioribus runcinatis.

*Scorzonera Picroides*. LINN. Syst. Plant. Tom. III. pag. 618.